



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniæ, 1709

§.4. Incarnatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

LIBER II.

12
turit? vindicias actionemque de REPETUNDIS. Nunc quidem claimare non audet *vani-tati subjecta non volens*; ingemiscit ta-men expectans tempus illud *restitutionis omnium*. O tempus! ô restitutionem, sed se-ram, & ex quâ sequitur destitutio omnium!

§. 4. *Incarnatio.*

Finem media consequuntur, majora fine. Aureo enim, ut ajunt, piscatus est hamo. Op-
pigneravit pro servo filium, pro extraneo
seipsum, plus dedit quam promisit. In sum-
mâ, ut homo fieret Deus, miraculo longè
majore factus est Deus homo. Miscentur
itaque ima summis. *Magus in terrâ cælum
videt, in cælo terram; hominem in Deo, in ho-
mine Deum.* [Chrysologus.] Fit eadem & vir-
go & mater; idem & creator & creatura,
causa sui ipsius. Denique cogit se in infantem
Deus, [S. Zeno.] in servum dominus, in re-
um Judex: principium habet in tempore
æternus, finem infinitus, mortem immorta-
lis, modum imminens, membra mea, misericor-
iam meam misericors deus. *Dum medium,*
inquit, *silentium tenerent omnia, nimis*
priæ tanti stupore sacramenti, omnipotens ser-
mo tuus à regalibus sedibus venit. Qualis au-
tem & unde? & quod? à priæsepi ad crucem.

O

DE AMORE DEI.

73

O fides! ô amor! ô furor! uter insanit? Deus
an reus? uterque : & Deus & reus; sed Deus
magis. *Stultum tamen hoc Dei sapientius*
omnibus hominibus Stratagema est. Vinci-
mus Imperatoris morte. Tibi nascitur, tibi
moritur, tibi resurgit, tibi triumphatis ho-
stibus victor in cælum ascendit. *Quid dicam*
amplius? hoc uno omnia tua sunt, & Angeli,
& Deus ipse ; & quod caput est, tu tuus, tu
Dei. Postremò tale beneficium est, ut in ejus
comparatione cetera non parva, sed nulla
sint. Monsigneus, & major incomparabiliter,
quam si totus mundus arderet. [Guilielm. Pa-
rif.] Et tu, ô Christiane, novus rubus tanto
ab igne non ardes? O salamandram! ô vipe-
ram! ille vagiens in cunis, ille pendens Vir-
ginis ab ulnis, pannis obligatur tuis. Quid
dico? membris obligatur tuis, & jam suis.
Quid iterum dico? ille pendens crucis ab ul-
mo, non pannis sed pœnis obligatur tuis, &
jam suis; clavis affigitur, spinis coronatur,
Hagellis occiditur, spuitis conspuitur, oppro-
brium hominum & abjectio plebis: & tu myr-
to redimitus & rosâ, opobalsamum spiras?
ille è tanto rege pastor, è tanto pastore ag-
nus, nascitur in stabulo, moritur in patibu-
lo; & tu pastori tigris, agno lupus occurris

D

in

in mundo? O miserum te, ô detestandum, si nihil amas! ô detestabiliorum multò magis, si quid præter Deum amas, tot modis, tantóque merito tuum! Amice, ad quid venisti? non dico in hortum, sed in hunc mundum? & si tu nescis finem tuum; pete finem Dei. ad quid amicus venit? ut viveret, ut moreretur tibi; & tu vivis, tu moreris alteri. Tu Christianus? tu frater? tu filius? O monstrum monstro! sed ô antidotum è veneno! sic, sic serpentem serpente curamus, dum horrori est.

§. 5. *Justificatio.*

Illo è fonte flumen immensum in quatuor orbis partes undique manavit, atque ut pro incolumitate corporis creationi conservatio, ita pro salute animæ redemptione JUSTIFICATIO respondet. Quotidie nascitur Deus, non jam in Virgine, sed in adulterâ quoque. Hic supremus admiranda transformationis apex, ut non de homine tantum frat Deus; sed de peccatore etiam mutatione omnium maximâ, ut ait Theodorus. Ibi enim Deus factus est reus; hic contrà reus factus est Deus. Ibi semel duntaxat, & in uno; hic quotidie & in omnibus. Ibi gratia sanguine stetit & morte; hic tribus